

emendata ad modum et formam, quæ ab eadem nostra Sacrorum Rituum Congregatione fuit sancta, faturis quoque temporibus licite ac libere possit servari.

» Nihil vero dubitamus, dilecte fili noster, quin omni cura studioque hanc nostram voluntatem exequi glorieris, ac simul efficias ut omnes, ad quos spectat, et in posterum quomodolibet spectabit, eidem nostræ voluntati et præscripto diligenter obtemperent. Atque etiam futurum confidimus ut, Deo auxiliante, ii parochi, qui nobis, tibique moerori, et bonis omnibus offensioni fuerunt, resipiscant, acquiescant, et optimi cleri Gallicani imitentur exemplum, qui singulari nos et hanc Apostolicam Sedem amore, obsequio et obedientia prosequi, et egregiis factis de nobis, atque de eadem Sede asperrimis hisce temporibus optime mereri summopere lætatur. Denique omnium cœlestium munerum auspiciem, et præcipue nostræ in te benvolentiae pignus, Apostolicam benedictionem intimo cordis affectu tibi ipsi, dilecte fili noster, et gregi tuæ vigilantia concredito peramanter impertimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum, die 17 martii anni 1864, Pontificatus Nostri anno decimo octavo. Pius PP. IX. »

Jam vero, die 3 martii ejusdem anni, prodierat decretum sequens :

« LUGDUNEN. Cum Adrianus I summus Pontifex Caroli-Magni pietate ac studio per omnes Galliarum regiones, Sancta Romanæ Ecclesiæ liturgiam, juxta sacramentarium et antiphonarium S. Gregorii-Magni prædecessoris sui, introduxit, Ecclesia etiam Lugdunensis, quæ cæteris illius regni Ecclesiæ celebritate præstebat, liturgiam S. Gregorii devote suscipiens nonnullas retinuit tamen consuetudines, quas ab ipsa Photini et Irenæi ætate origine ducere non levis rationum suadet auctoritas. Illud apertissime constat ex comparatione Sacramentarii Gregoriani, necnon veterum ordinum Romanorum de solemni Summi Pontificis missarum celebratione, cum antiquissimis missalibus ordinibusque Lugdunensibus. Atque adeo in posterum hæc nobilissima Ecclesia Romanæ liturgiæ institutis continuo adhaesit ut, teste B. Josepho Maria cardinali Thomasio, viro sanctitate conspicuo et in rebus liturgicis doctissimo, « suum missale quamplurima conservaret ex vetustiore ritu Ecclesiæ Romanæ, quem olim semel acceptum constanter retinuit, prætermis complurimi recentiorum temporum mutationibus. » Ac proinde cum a S. Pio V Summo Pontifice in binis constitutionibus quæ incipiunt *Quo primum* et *Quod a nobis* cautum fuerit ut deinceps psallendi modus, eucharisticum sacrificium offerendi ritus toto terrarum orbe idem essent, nulla admissa exceptione nisi illis in locis ix quibus diversa super ducentos annos vel in missis celebrandis vel in psalmodia persolvenda assidue observata fuerit consuetudo, Ecclesia Lugdunensis, quæ in hujusmodi exceptionis professione distinguebatur, ea Sedis apostolicæ assensu minime privata extitit,

quemadmodum, præter Ecclesiæ orientales quæ ob rituum diversitatem in hac haud comprehendebantur lege, Mediolanensis Ecclesia ritum Ambrosianum, ac nonnulli religiosorum ordines suis antiquos retinuere ritus.

» Verum si qua Ecclesia aut religiosorum ordo, vel omnem, vel aliquam partem propria liturgiæ in posterum immutasset, exceptionis hujus jure destituebatur, et Missale Breviariumque Romanum ita amplecti cogebatur ut nullimodo posset ad veteres redire consuetudines. Itaque factum est, saeculo præsertim præterito, ut prava illa in Galliis reviviseret consuetudo de qua, et pro aliis etiam per orbem Ecclesiæ, graviter iamentabatur. S. Pius V in superioris laudata constitutione, quaque episcopi « privatum sibi Missale ac Breviarium » conficerent, et illam communionem uni Deo, « una et eadem formula preces et laudes adhuc bendi, dissimillimo inter se ac pene cujusque episcopatus proprio officio discerperent. »

» In hac rerum liturgicarum perturbatione nec Ecclesia Lugdunensis quæ, juxta clarissimum Martenium « in retinendis priscis ritibus aliis regligiosior fuerat » immunis evasit. Nam vertente præterito saeculo, illius antistitis mandato qui ab anno 1759 eidem præerat Ecclesiæ, retenta aliqua ex parte antiquorum rituum forma, Missale et Breviarium, quæ a legitime auctoritate minime prodibant, obniente frustre capitulo, assumere coacta est. Hisce vero nostris temporibus cum fere omnes præclarissimi Galliarum episcopi, ea qua præstant erga Sanctam Apostolicam Sedem devotione, liturgiam Romanam in propriis diocesis restauraverint, Reverendiss. D. cardinalis Ludovicus de Bonald, archiepiscopus Lugdunensis, venerabilibus collegis suis se absimilem esse prorsus noluit; proindeque peramantissimis Sanctiss. D. N. P. IX litteris invitatus huic operi manus alacriter admovit. Quapropter illustrum ecclesiasticorum commissionem selegit cui calendarium diocesanum, propriumque officiorum et missarum ad formam Missalis Breviariorum Romanorum redigendi munus commisit.

» Que cum in promptu essent, ipse Reverendiss. cardinalis archiepiscopus alman hanc Urbem petit ut laborem suum S. Sedis approbatione subjeceret. Interim Sanctiss. D. N. enixe rogavit ut antiquissimam Ecclesiæ Lugdunensis liturgiam etiam quoad formam cæremoniarium retainendam concederet, veluti in litteris apostolicis ab anno 1854 sibi datis Sanctitas Sua ex maxima sua benignitate ita concedendum repromiserat. Porro eadem S. S. preces Reverendiss. archiepiscopi Lugdun. humanissime excipiens, Sacr. Rit. Congr. mandavit ut de calendario proprioque sanctorum diocesis Lugdunen. pro officio et missa exactius cognosceret; simulque ut vetus liturgia etiam quoad ceremonias ab omnibus mendis spuriisque immutationibus ac additamentis quibus, uti superius notatum est, vitiata fuerat emendaretur. Quæ omnia cum eadem S. C. accurassime præstiterit,

facta Sanctiss. D. N. a subscripto secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacra Congreg. ratam habuit et apostolica auctoritate sua confirmavit; contrariis nonobstantibus quibuscumque, die 3 martii 1864. C. episc. Portuen. et S. Ruf. card. PATRIZI, S. R. C. prefectus. — D. BARTOLINI, S. R. C. secretarius. »

Tandem, die 27 aprilis 1865, prodit decretum aliud. S. Rit. Congr. quosdam ritus in Ecclesia Lugdunensi antiquitus receptos approbans his verbis :

« LUGDUNEN. Prudenti sane consilio peculiares ritus quibus, ab antiquis temporibus, præclarissima Lugdunensis Ecclesia nobilitatur, quique in missali superiori anno, ab hac S. C. aprobato, haud comprehendebantur, RR. DD. cardinalis Ludovicus de Bonald, archiep. Lugdunensis, ejusdem S. Congregat. examini, ut par erat, subjiciendos esse duxit. Quum itaque ex Sanctiss. D. N. mandato S. R. C. omnem impendisset curam ut veteres Lugdunenses ritus instaurarentur, examen institut super processiones ac benedictiones in Ecclesia Lugdun. fieri consuetas, easque ab omni vel levissimo nævo emendare et ad sinceram antiquorum codicum lectionem restituere studuit ut, in hac nobilissima Ecclesia, juxta celebre Apostoli effatum omnia honeste et secundum ordinem fiant. Insuper ad trutinam revocavit nonnullas rubricas tum generales, tum particulares quæ in Ecclesia Lugdunensi in sacris peragendis, quibusdam præsertim diebus, observabantur, quarum tamen antiquitas adhuc satis explorata minime erat. Quæ autem cum innotuerit antiquitas, in meliorem formam, juxta vetustissimos Romanos ordines, aliasque liturgicos libros a gravissimis scriptoribus in lucem editos diligenter redactas, retinendas esse judicavit. Denique nonnullas sequentias (vulgo prosas) Ecclesiæ Lugdunensi concessit, quarum plures jam pro aliis Galliarum diocesibus adprobate fuerant. Quare Sacr. hæc Rituum Congreg. Sanctissimi D. N. mandata religiosissime exequens Ecclesiæ Lugdun. cleroque ejus probatissimo antiquissimam suam liturgiam, sacramentario S. Gregorii Magni, ordinibusque Romanis apprime consonam sartam teatamque conservavit.

» Facta autem per me infra script. secretarium Sanctiss. D. N. Pio PP. IX fideli relatione, S. S. Sacrae Congregat. decretum confirmavit, atque ab omnibus in Lugdun. Ecclesia servari mandavit. Contrariis nonobstantibus quibuscumque. Die 27 aprilis 1865. C. episc. Portuen. et S. Ruf. card. PATRIZI, S. R. C. prefectus. — D. BARTOLINI, S. R. C., secretarius. »

Hæc sufficiunt. Quicunque voluerit exactius materiam explorare audeat DD. de Conny, *Recherches sur l'abolition de la liturgie antique dans l'Eglise de Lyon, 1859; Revue des sciences ecclés., t. VIII, pag. 346;* et D. Bouix, *La question liturgique à Lyon, 1863; Douze paroles de S. S. Pie IX pour rétablir dans le diocèse de Lyon l'observation de la règle du Pape S. Pie V, en matière de liturgie*

Gebennæ, apud Soullier et socios, 1866; et in primis opus eximium quod Sanctissimus D. N. Pius IX dono dedit, anno 1867, omnibus et singulis epis copis, qui ex variis orbis terræ partibus pro centenario SS. Apostolorum Petri et Pauli splendidius celebrando Romam confluerunt, et cui titulus : *La Liturgia Gallicana ne' primi otto secoli della Chiesa; osservazioni storico-critiche di un sacerdote romano consultore della S. C. de' Riti, in occasione del ritorno della Chiesa di Lione all'antica sua liturgia;* 2 vol. in-8°, Rome, typograph. Rev. Cameræ apostolice, 1867. Idæam hujus operis quod auctor, Ludovicus Marchesi, presbyter Congregationis S. Vincentii a Paulo, Pio IX obtulit die 29 jan. 1867, invenient lectores in *ephemeride Revue des Sciences ecclés.*, tom XVII, pag. 329, fascic. aprilis 1868; hic tantum aliquid de questionibus ab excellentissimo scriptore tractatis attingemus.

In parte prima, monumenta quæ extant antiquæ liturgiæ Gallicanæ attentius explorantur, scilicet missale Gothicum seu Gothicum-Gallicanum, missale Francorum, missale Gallicanum vetus, sacramentarium Gallicanum, tandem *Expositio missæ Gallicanæ* sancto Germano episcopo Parisiensi attributa. In secunda parte probatur 1º canonem missæ, in veteri liturgio Gallicana, fuisse Romanum; 2º antiquam Gallicanum liturgiam, jam ante sæculum octavum, fuisse substantialiter Romanam; 3º in multis Galliarum Ecclesiis, ante sæculum octavum, ritum Romanum-Gelasianum purum obtinuisse; 4º liturgiam Romanam in Gallias simul ac fidem evangelicam fuisse inventam; 5º doctrinam juxta quam vetus liturgia Gallicana originem duxisset ex ritibus Ecclesiæ orientalium nullo solo fundamento gaudere; 6º reformationem liturgicam temporibus Pippini et Caroli-Magni consummatam attigisse tantum quedam puncta quæ accessoria non principalia nuncupari debent; 7º ritum romanum purum tunc fuisse restitutum, catholicae fidei conservandæ causa. Tandem in tertia 1º expenditur opinio Lugdunensem de natura et origine liturgiæ Lugdunensis; probatur 2º liturgiam, quæ Lugduni fuit abolita sæculo XVII vertente, esse Romanam; 3º Ecclesiam Lugdunensem ab origine usurpasse liturgiam romanam.

Pro corone hujusce adnotationis juvat adjicere quod, cum Eminentiss. cardinalis Mathieu, archiepiscopus Bisuntius, die 15 dec. 1855, a S. Sede postulasset ut sibi liceret « reassumere Rev. Antonii Petri de Grammont I missale et breviarium cum novis prosis cardinalis de Choiseul » que missale et breviarium « proprius accedunt ad Romanum precandi morem ». S. Rit. C. censuit « ipsius precibus, sive juris sive opportunitatis habitatione, satisfieri haud posse. » Et in litteris diei 28 aug. 1850 cardinalis Prefectus ejusdem Congreg. ad memoratum cardinalem sic rescripsit : « Hanc vero S. C. deliberationem, quum, referente subscripto secretario, Sanctiss. D. N. Pius PP. IX ratam habere et confirmare dignatus sit, nihil aliud su-

perest nisi Emin. Vesta, pro ea qua præstat erga S. apostol. Sedem filiali reverentia et obsequio, commissam sibi Bisuntinam diœcesim arctiori cum illa communionis vinculo consociare studeat, quod certe efficiet si præfata diecesis ad unitatem Romanæ liturgie quamprimum adducat. Hoc est Sanctitatis Suæ ardentissimum votum...»

Die 29 sept. 1856, iterum scripsit idem cardinalis Bisuntinus ad eumdem cardinalem S. R. C. præfectum his verbis : « Eminentiss. et Reverendiss. Domine. Ea qua par erat reverentia et submissione litteras ab E. V. ad me die 28 præteriti aug. datas hodie tantum excepti, et in omni sinceritate cordis profiteri possum nihil mihi sanctius quam ut ea, que a S. Congr. decisa et a Sanctitate Sua sancita fuerunt, rata habeam et perficere satagam, quem ut finem assequar, expostulo ut mihi liceat 1º Proprium sanctorum Bisuntinæ diœcesis Sacrae Congr. proponere; 2º cantum illum romanum assumere quem illustriss. archiepiscopus Antonius Petrus de Grammont I multa cura et arte correxerat. » Die 27 nov. ejusd. anni card. Patrizi affirmatum quod primam partem dedit responsum, quod autem secundam sic prosecutus est : « Quod vero attinet cantum quem cl. mem. Antonius de Grammont olim archiepiscopus Bisuntinus correxit, quemque E. V. assumere desiderat, id reponam, quod nonnullis aliis Galliarum episcopis significatum jam fuit, Sanctiss. D. N. Pio PP. IX maxime cordi esse ut cum Romana liturgia Gregorianus cantus adoptetur. »

Documenta quæ supra leges in extenso apud Ludov. Marchesi, citato opere : *La liturgia gallica ne' primi otto secoli, etc.*, tom. II, p. 420 et seqq.

ADNOTATIO XLIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30, pag. 182.

DE EXCELLENTIA LITURGIE ROMANÆ.

Adeant lectores « Instructionem pastoralem cum mandato RR. DD. Pallu du Parc, episcopi Blesensis, » die 22 octobris 1852 datum pro restitutione liturgiae romanae in prædicta diœcesi; nec non RR. DD. Petri-Ludovici Parisi, episcopi primum Lingonensis deinde Atrebatis, opusculum cui titulus : *La Question liturgique*; et in primis librum valde commendabilem « Institutions liturgiques » a Reverendiss. D. Guéranger, abbate Solesmensi ordinis Sancti Benedicti, scriptum et evulgatum tribus volum. in-8°, Cenomani et Parisiis, 1840, 1841 et 1851. Cum enim anno 1837, prædictus D. Guéranger a Sancta Sede petiisset oportunas et necessarias facultates pro restauranda in Galliis religione benedictina, san. mem. Gregorius XVI precibus ejus annuens, in litteris apostolicis ad hanc rem benignè concessis, munus quasi præcipuum novis monachis impertire dignatus est his verbis scilicet : « Sanas pontificii juris et sacræ liturgiæ traditiones

labescentes confovere. » Quantocius operi manum admovit prælaudatus D. Guéranger, et illius libri auctoritas tanta fuit ut, non obstantibus querelis et controversiis hinc et illinc suscitatis, et revera versus optatum finem, Deo sic disponente, conitentibus, liturgia romana in Ecclesiis Galliarum, paucis annis recurrentibus, feliciter redintegrata fuit. Cf. Du Lac, *La liturgie romaine et les liturgies françaises*, Parisiis, Lecoffre, 1849; Jouye, canonicum Valentinensem : *Du mouvement liturgique en France durant le xix^e siècle*, Parisiis, Blériot, 1860; et Adnot. XLIII supra.

ADNOTATIO XLV.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30; pag. 182.

DE OFFICIO MATUTINO A CHORO ADSTRICTIS.

Sic loquitur Benedictus XIV, *Instit. CVII*, § 4 : « Istud verissimum est quod sanctus Carolus Borromæus scriptum reliquit de matutini tempore : « Matutinum vesperi non dicatur, exceptis tamen diebus octave festi solemnis Domini Nostri Jesu Christi, ceterisque diebus, quibus ex Romanæ Ecclesiæ instituto est permisum. » Quæ cum ita sint, Braschius, in suo *Promptuario synodoli*, cap. LXXXVI, n. 18 et seq. in hunc modum tradidit : « Matutinum in cathedrali, collegiatis recipi tibiis et choralibus ecclesiis persolvi mandet episcopus mane diei propriæ, non autem sero præcedenti post vespertas et completorium, nisi forte quandoque justa causa concurrente judicabitur esse dispensandum ad tempus ut secus fiat. Causa propter quas valeat dispensare sunt præsertim ob hyemis rigorem, item propter aeris intemperiem, adhuc et propter inolitam contuminem vel ob aliam honestam rationem, quæ prudentis viri iudicio sufficere videatur. Verum hoc in re nonnisi caute admodum procedere oportet. » Equidem Sacra Congregatio, die 12 nov. anno 1644, facultatem tribuit matutini recitandi post completorium, id tamen auctoritatibus arbitrio episcopi relinquendum judicavit, lib. XVII. *Decretor.* pag. 379 : « S. C. censuit petitan facultatem recitandi matutinum esse oratoribus concedandam post completorium præcedentis diei, pro arbitrio tamen episcopi, et dummodo lapsa sit hora tercia post meridiem. »

ADNOTATIO XLVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30; pag. 182.

DE MISSA CONVENTUALI PRO BENEFATORIBUS.

« Neminem vestrum latere putamus SS. canonicum sanctiones quibus præcipitur ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis,

ADNOTATIO XLVI.

cathedralibus et collegiatis, tum horæ canonice debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter et per omnia uniformes existunt resolutions ab hac Congr. VV. FF. nostrorum conc. Trid. interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes apostolica auctoritate nostra confirmamus et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes, ut scilicet missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero prædict. ecclesiastiarum pro eisdem benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo quo missam parochiale ab iis qui curam animarum gerunt pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus.

» Itaque date operam ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem inventam esse novimus quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiæ benefactore, vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi, celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missæ conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiæ, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus sive mansionarius, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

» Neque minus improbandam neveritis aliorum sententiam qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliqua interdum preces fiunt vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit quam ea quæ a lege ecclesiastica multoties prescripta fuit; nimur missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

» Profecto non solum prioribus Ecclesiæ sæculis verum etiam temporibus haud longe nostra ætate remotis (quod vos ex historiæ Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomine sacris dyptichis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam missæ sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictas catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet enim pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se, bona sua Deo offerre declarassent, Ecclesiæ sicutidem præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum

quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi dyptichorum usus sensim defecit, ob idque in obliuione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

» Quemadmodum vero, loquendo de missa parochiali, superius dictum est varias excusationes affiri solere, ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de præcepto; ita pariter usu venit, quoad applicationem quotidianam missæ conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam haæ posteriores, provide et medio sublatæ fuerunt per opportunas congregationis conc. Trid. resolutions quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus et confirmamus.

» Nonnulli siquidem obtenu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigintis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam plures responsum fuit hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, qua potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

» Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali præbenda obtinet, vel quia, præter munus canonicæ, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali, seu collegiata, cum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochiale curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiæ benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est jubendo singulis prædictis ut missam conventualem quam canunt pro ecclesiæ benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicet.

» Aliorum pariter exceptio fuit quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis, quos minus æquum videtur pro missæ celebratione omni eleemosyna carere, que unde desumti valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.

» Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihil fere redactæ, vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem synodus sess. XXIV, cap. 15, opportunas rationes ostendit quibus canonicum præbendarum inopie valeat provideri. Si